

Salutem et Sanitatem, litteras tuas (charissime Germane) non absque gaudio et uidi et legi, absolutus sum graui molestia, quam mihi aegritudo tua incussit, Non sum nescius quam periculose laboraueris, sed restituit te ad uitam ineffabilis illa et semper adoranda Diuinitas, Sis perinde tibi curae, et sobrietatem sectare etc.

Expugnatio monasterii de Mulbronn tibi nota est, modum autem arbitror te nescire. Dux de Wirtemberg cum exercitu monasterio appropinquans, castra sua posuit circa fontem Conuentus, et mox omnes fontes fodere fecit, ut nullam aquam habere possent nisi ex fonte infirmariae. Postea fortalitium ligneum circa lapifossam constructum, tormentis et bombardis undique circumdatum expugnare coeperunt. At illi intus fortiter resistentes, duos optimos magistros bombardarum de parte ducis in quibus plurimum confidebat bombardis ex fortalio interfecerunt, cum nonnullis nobilibus et aliis. Ex hoc Dux commotus, maxima ui institit, et adeo tormentis suis fortalitium fregit, ut secunda die expugnationis omnes machinae fortalitii destruerentur. Ibi a. (autem?) qui intus erant cum tantam uim ferre non possent, statim lapifossam et fortalitium met (?) incenderunt et se ad monasterium retulerunt. Dux a. statim machinas suas ad monasterium conuertit, et turre Rasoris partim deiecta, et muro usque ad turrim lapicidis reusto (?), tecto infirmariae pene destructo, tandem septimo die Capitaneus monasterii cum suis dextras dederunt, quos Dux iuramento praestito prout moris est incolumes cum rebus dimisit. Et iam in manibus eius est Monasterium, quod passim et mulieres et uiri ingrediuntur, iamque pro famulo domus abbatialis mulieres ordinatae sunt, O miseriam, et acceleratam diuinae iustitiae vindictam. Reuera non gentem propter locum, sed locum propter gentem elegit dominus. Altero die Expugnationis missus est a Duce de Wirtemberg conuersus Johannes aduocatae nostrae frater ad Knittlingenses qui se undique incastraverant cum eorum Capiteo, viro strenuo et nobili ex Palatinatu. Idem frater conuocatis

omnibus rusticis, quorum magnus erat numerus, persuasit, ut et ipsi dextras darent, et in pace Ducem reciperent, alioquin si resisterent, omnes morti puniturus esset. His uerbis permoti pauperes contra uoluntatem Capitanei et se et sua cum villagio Duci tradiderunt, cui statim fidelitatis iuramentum praestiterunt, a iuramento Mulbronnensi facto nondum absoluti, Dux autem Capitaneum ex suis nobilibus elegit, et datis sibi ex exercitu militibus curiae nostrae et villae praefecit, et pauperes incolumes et absque dampno euaserunt, et Duci obtemperant. Ante expugnationem monasterii Palatinenses domum hospitem cum aliis domibus extra portam incinerauerunt, Curia Elfingen per Wirtenbergenses in puluerem redacta est. Hae villae omnes exustae sunt, Zeiserswiler, Schutzingen, Gindelbach, Lamersheim, Mülacker, Dornmentz, Wernsheim, Hourkling (?). Ex Entesheim praeda abacta, pauperes mille quingentos florenos pro incineratione dederunt, lentzingen et ylingen, mille 300. aureos, Pauperes nostri in buschlat et Niefern 200. aureos, quis intolerabile hoc damnum resarcire poterit. Ex Öwisheim princeps Palatinus omnia vina et frumenta abduxit, Manet dominus noster in Spira cum toto paene Conuentu, et iam pene omnia re?sumpta sunt ibidem, et nemo eis victualia dat. Et cetera (?). Vale, ex Colmar altera post Geruasii anno XV<sup>mo</sup> (quinto decimo) 4.

Prior in Paris.